33
1185.g.16
33.(

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

Conceptu humano & quibuſdam phænomenis exinde conſequentibus.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnifici Rectoris,

D. LUCÆ SCHACHT,

Philoſ. & Medic. Doct. hujuſque in Academiâ Lugd.-Batavâ Profeſſoris Celebertimi,

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decretô,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit

GULIELMUS SMITH, ANGLUS.

Ad diem 11 *Iulii locô horiſque ſolitis.*

K

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXIV.

Viro Integerrimo

D. GULIELMO SMITH,

Medico Practico fœliciſſimo, expertiſſimo verſatiſſimoque.

NEC NON

Spectatiſſ. & Ampliſſ. Viro

D. HENRICO HICKMANNO,

S. S. Th. B. Paſtori, Anglo-Leydenſi vigilantiſſ.

Has theſes ſacras vult

GULIELM. SMITH,

Auctor.

DISPUTATIO MEDCIA
INAUGURALIS
DE
Conceptu humano & quibuſdam phæno-menis exinde conſequentibus.

THESIS I.

Cum hujus Academiæ leges ita ferant, ut antequam aliquis lauream doctoratûs referat, ſpecimen aliquod ſuorum ſtudiorum in lucem proferre neceſſe habeat, par duxi hocce ſubjectum mihi eligere, ſuper quo, has theſes meas aſtruam, ſed cum tenuitatem meam, & pondus ipſiusvei animadvertam, hæreo hæſitoque &, quo me vertam vix habeo.

II.

Sed antequam nos ad ipſam rem accingamus præmittenda quædam ſunt conſiderationem merentia, 1°. Uterina purgamina fœminas pati & quidem Menſtrua, ſed non omnes eodem menſis tempore, ſed alias in principio, alias in fine, alias tem-

poribus intermediis, & quidem periodos iſtas menſtruas phaſibus lunæ obtemperare, Juvenculas ante annum 3um decimum aut 4um & vetulas poſt 55um aut eo cercitur, itemque viragines mulieres fortiores illis non laborare.

III.

Quarum rerum ratio eſt, quod luna menſtruo ſpatio in vortice telluris circumvehitur, cumque ipſe ſole conjunctiones, oppoſitiones, quadraturas, aliaſque phaſes ineat, ſic prout ut æther à ſole proveniens, & incidens in has illaſve lunæ plagas diverſis occurrat exhalationum materieique ſpeciebus, quæ non poſſunt naturam ipſius ætheris non variare, ſic res evidenter elucet, cum ſcil. ſanguis hujus illiuſve fœminæ poteſt huic vel illi ætheris ſpecei obtemperare in motus fermentativos rapitur, & cum ſit in magnâ copiâ expellitur ad hæc vel iſtæc vaſa ſanguifera, quùm verò vaſa uterina ſint reliquis latiora, & in rectam jaceant lineam & in cavitatem uteri deſinant, certe conſequens eſt ut ſanguis cum in magno ſit motu potius ex his quam ex aliis erumpat vaſis licèt dentur hiſtoriæ aliarum viarum, per quas menſtrua effluxerint, hinc ſequitur ſi ſanguis ſit paucus ut in corporis nutrimentum inſumatur uti obtinet in junioribus non poſſe fermentari & in enormes turgeſcentias ferri, etiamque ſi ſit craſſus & terreſtris uti obtinet in vetulis, gravitate ſuâ non poſſe ætheris motui obſequi, & ſi ſit adeo validus & fermentationes ſint vegetiores non poſſe fermento lunari cedere.

IV.

His jam prælibatis ipſam rem aggrederemur niſi, quædam ſcitu valde neceſſaria hic eſſent notanda ſc. phyſiologica ipſius uteri ejuſdemque appendicum ſtructura.

V.

Imprimis ergo in conſiderationem venit ipſe uterus trifariam pertuſus, cervice ſcil. interiori, & in utroque ſui fundi latere, quæ latera ſingula nequaquam amplo & lato ſed admodum ſtri-

cto

tuo anguſtoque perforantur canali, porro non eſt levioris momenti animadvertere illa foramina ſingula imprimis in ſtrictum & rectum poſtea in curvum in multos quaſi labarynthos, meandros, ſinus, ſcrobiculoſque ceſſantem canalem deſinere, & quo ab utro remotiorem eo latiorem atque patentiorem, qui canales tubæ Fallopianæ audiunt.

V I.

Quæ tubæ non ſolum fibrillis muſculoſis per longitudinem diſcurrentibus, ſed circularibus annulorum inſtar, ſeſe ſeriatim contrahentibus, gaudent uti poſtea videbimus, quibus tubis extremis orbiculatim appenduntur fimbriæ muſculoſæ ſeſe digitorum more contrahentes & expandentes, quibus fimbriis & faucibus ſubjacent duo corpora glanduloſa teſtes dicta, quæ potius ovariorum nomen merentur ex quibus ovariis decidunt ova matura, immaturis illic loci remanentibus, & quod omnium certe primum eſt, quod membranæ illæ carnoſæ inter teſtes & tubas alæ veſpertilionum dictæ multis fibris muſculoſis refertæ ſeſe tempeſtivè contrahunt, quæ res profecto tanti eſt momenti ut totius operis cardo fere in eo vertatur uti poſtea demonſtrabimus.

V I I.

His jam perceptis ad ipſum opus generationis pervenimus & imprimis notandum venit ipſum ovum muliebre intra ſuum folliculum maturum inſtar fructûs ad egreſſum paratum eſſe.

V I I I.

Poſtea ſemen maſculinum ruminandum ſe offert, conſtans particulis mobiliibus, ſubtilibus, ſpirituoſis, & deinde ipſe actus coitus, quo tam mas, quam fœmina maximam titillationem, & voluptatem ſubeunt, qua voluptate partes fœmineæ maxi-

maxime ſpiritibus inflantur & omnes partes muſculoſæ contrahuntur & cum ipſe actus coitus per aliquod tempus duret antequam emittatur ſemen certe conſequens eſt, ut ovum ex alterutro teſte exprimatur, mediantibus illis muſculoſis alarum verſpertilionum fibris quæ contractæ & abreviatæ neceſſario fauces ſive ornamentum foliaceum ad teſticulum contrahant, & cum præſto ſint fauces muſculoſæ orbiculatim teſticulum amplectentes ovum maturum & ad egreſſum paratum in ſuos ſinus recipiant, & circulares fibrillæ ipſius tubæ unæ poſt alias ſeſe contrahentes ovum ipſum in uteri cavum convehunt.

I X.

Dum hæc fiunt ſemen virile in fundum uteri emittitur, quod in occurſum ovi veniens per id tempus illud per poros pelliculaꝛum ſuarum adoritur particulis ſuis prædictis, & cum materia 1. Elementi ſit præſto ovum à ſemine fermentatur & ſenſim ac pedetentim abit in maſſam illam albicantem, quam Cl. Harveus Colli quamentum vocat, quod Colliquamentum magis ac magis fermentatur uſque dum ſit rubicundi Coloris, quæ Materia rubicunda non eſt (ut puto ego) cor ſive punctum ſaliens ſed ſanguis in eo contentus, qui movens huc illuc ipſarum arteriarum ſtamina nectit, Hinc habemus à priori ipſius ſanguinis circuitus demonſtrationem, Philoſopus enim demonſtravit vacuum eſſe Contradictorium, & exinde omnem motum fieri in circulo, adeo ut eodem tempore, quo ſanguis è Corde egreditur non potuit ſanguis iterum in cor non ingredi ſed ne noſtros limites ſc. Conceptum tranſeamus alia primo promiſſa nunc attendenda ſunt.

X.

Imprimis obſervatur Menſtruam periodum fœminis poſt conceptum ſubſiſtere, quod evidenter fluit à principiis in tertia the-

ſi

ſi poſitis [illegible] Maſculini [illegible] ovum ingreditur quædam portiuncula totam ſanguinis materni aliter fermentant maſſam, adeo ut fermento lunari cedere nequeat.

X I.

Quin etiam dum fermentativæ ſanguinis particulæ totum muliebrem peragrent maſſam ſanguis maximum patitur ſuarum particularum internum Motum, adeo ut in capillaria quædam vaſa, ubi cutis tenuior, ruat ibique ſtagnet uti obtinet ſub oculis inde livor oculorum, porro ſanguine ſuo genuino fermento privato, effunduntur in ventriculum per vaſa gaſtrica & gaſtri-epiploica, quædam peregrinæ particulæ, quæ irritant fibrillas ipſius Stomachi, quâ irritatone ab anima percepta apperiuntur nervorum principia & plures ſpiritus in ventriculi nervos mittuntur, & cum ſit communio nervorum ventriculi, & muſculorum abdominis, quibus muſculis quaſi in ſubſidium revocatis & contractis pelluntur viſcera ſurſum, & ventriculum undique comprimunt, & ventriculus ſuis ipſis contrahitur fibris, adeo ut cogatur coutenta expuere imo ipſum liquorem tenuem in rugis ventriculi latentem, & ſæpe cum nil illic loci jaceat attamen contractionibus illis fit conatus unde profecto ſit nauſea ſive conatus inanis vomendi in mulieribus quæ recenter conceperunt, porrò cum tantæ enormitates in œconomia muliebri excitantur ſpiritus non tam ſubtiles neque tam copioſi generantur, inde mirum non eſt ſi mammæ flacceſcant & ſit per univerſum corpus languor, qui habetur vulgo ſignum conceptûs pathognomonicum etſi revera vix ullum detur.

X I I.

Poſt conceptum omnia uterina incipiunt turgeſcere ac magis ac magis tendi & ligamenta uteri rotunda, quæ in clitorida deſinunt (etſi a rudioribus anatomicis non ita obſerve-

tur

ſir) omninò [illegible] [illegible] verè omn[illegible]
à nervorum fibrillarumque tenſione & [illegible] earundem [illegible]
diſtenſione conſequens eſt gravidas clitoridis ratione, majori ti-
tillatione, & voluptate Venereâ, quam vacuas gaudere, quod
ipſum experientia expertorum confirmat.

COROLLARIA.

I.

Vagitus Uterinus eſt figmentum.

II.

Allantois in fœtu humano eſt quid imaginarium.

III.

Si adeo contingat ut funiculus umbilicalis in partu ante fœtum prodeat obſtetricis eſt, illum multa diligentia & cura tractare & iterum in uterum redigere.

IV.

Fœtum extra uterum ſine reſpiratione vivere non eſt impoſſibile.

FINIS.